

OTTO III. IMPERATOR.



Otto eius nominis tertius dux Saxoniæ, Lünenburgensis et Brunsvicensis, filius fuit Ottonis secundi ex Theophania Imperatoris Græcorum filia, atq; nepos Ottonis magni. Defuncto enim patre in Italia, proceres Germani, qui tum frequenter Romæ erant, magna cōtentione de noui regis electione inter se discordabāt. Crescentius quoq; Nomentanus cōsul Romanus, qui urbis dominiū sua spōte arripuerat, autor Romanis ac Italī erat, ut Imperium ad se reciperent. Quidā uerò Germanorū principum Heinricum Bauariæ ducē, prioris Heinrici ducis filiū, atq; Heinrici Saxonis Imperatoris nepotē, odio enim imperatricis Theophanię à filio eius Imperium transferre conabantur. Hinc etiam factum ut Heinricus hunc Ottонem puerum per seditionem comprehensum in firma tenuerit custodia. Nonnulli uerò Ottонem filium Imperatoris tanquam legitimū patris & regnum eius hæredem Imperio præficiendum certabant, quod recta linea ab Ottone magno suo nepos descenderet.